



The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA *BHAGALPURENSIS**

APOSTOLICA PRAEFECTURA BHAGALPURENSIS AD GRADUM DIOECESIS EVEHITUR,
EODEM NOMINE SERVATO.

Cum Dei munere et gratia praefectura apostolica Bhagalpurensis, novem ante annos condita, generosa Sodalium Tertii Ordinis Regularis S. Francisci opera, magis magisque creverit et ad christifidelium numerum quod attinet et ad res coeptas iuvenibus instituendis indigentibusque iuvandis, libenti animo accepimus quod dilectus Filius Ioannes Boccella, eiusdem Ordinis Generalis Minister, faciendum proposuit, ut scilicet ea apostolica praefectura in gradum dioecesium redigeretur; spes enim est ut felicius, re catholica aucta, per regionem « sermo Dei currat et clarificetur » (2 Thess. 3, 1). De sententia igitur Sacrae Congregationis Fidei Propagandae atque summa Nostra potestate apostolicam praefecturam Bhagalpurensis ad dioecesis gradum extollimus, *eodem nomine* iisdemque servatis finibus, eamque metropolitanae Sedi Calcuttensi suffraganeam facimus. Sedem suam Episcopus in urbe ponet quam Bhagalpur vocant, magisterii autem cathedram in templo ibidem exstante Deo in honorem Deiparae Immaculatae dicato, quod scilicet ad dignitatem cathedralis aedis tollimus, cum iuribus et privilegiis quae sacris eiusmodi aedibus competunt. Novae praeterea Ecclesiae Episcopus congrua iura habebit omnesque obligationes cum munere coniunctas, quas inter obligationem memoramus Consultores dioecesanos eligendi, ad iuris normam, qui sibi consilio et ope assint, cum sive temporis sive locorum adiuncta quominus Canonorum collegium condatur impediant. Curet etiam Episcopus ut quam primum fieri poterit, Seminarium exstruatur, iuvenibus instituendis qui ad sacerdotium vocentur. Has autem Litteras ad effectum adducet venerabilis Frater Iacobus Robertus Knox, Archiepiscopus titulo Melitenaensis et in India Apostolicus Internuntius, vel quem ille delegaverit. Si autem tempore executionis alius in India Apostolicus Internuntius erit, hic mandata Nostra faciet.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum

per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die undecimo mensis Ianuarii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo quinto, Pontificatus Nostri secundo.

<p>IACOBUS A. Card. COPELLO S. R. E. Cancellarius</p>	<p>GREGORIUS Card. AGAGIANIAN S. Congr. de Prop. fide Praefectus</p>
---	--

Franciscus Tinello
Apostolicam Cancellariam Regens

Iosephus Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, *Proton. Apoost.*
Caesar Federici, *Proton. Apost.*

*A.A.S., vol. LVIII (1966), n. 2, pp. 122-123

© Copyright 1965 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana